

Deum finem naturalem, nequibit à prima inclinatione diverti, & ad secundam expediri, in quo consistit remissio peccati, nisi per mutationem realem ipsius naturæ. Quo præmissis:

102. Probatur primò nostra conclusio ex D. Thom. quest. 28. de Veritat. art. 2. ad 5. ubi ait: *Adam à statu gratiæ cecidit, & non solum à statu naturæ. Sed tamen si à solo statu naturæ decidisset, nihilominus tamen ad expiationem infinitæ offensæ donum divini gratiæ requireretur.* Atqui donum istud esset gratia supernaturalis non utcumque, sed sanctificans, ut constat ex toto art. ubi docet hanc esse necessariam supposita elevatione hominis ad finem supernaturalem, & hanc eandem requiri, etiam si à solo statu naturæ per peccatum homo labatur: ergo necessaria est omnino gratia habitualis ad remissionem peccati in statu naturæ. Ex quo penitus evanescit effugium Gonetii num. 108. recurrentis ad auxilium gratuitum intra ordinem naturæ: ut ex se liquet. *Accedit:* Quia perpetuò docet D. Thom. maxime loco citato, quòd ad offensam abolendam non sufficient vires humanæ; sed ad dilectionem Dei finis naturalis sufficient, quantum est ex se, vires naturales, ut docuimus tract. præced. disp. 1. dub. 3. ergo.

103. Deinde probatur ratione fundamentali: Nam offensæ illa, quæ tendit contra Deum finem supernaturalem, vel avertit à Deo sine supernaturali, nequit auferri, adhuc per potentiam Dei absolutam, nisi per infusionem gratiæ habitualis; sed offensæ peccati gravis Deo irrogata in statu naturæ puræ tendit contra Deum finem supernaturalem, aut avertit à Deo sine supernaturali: ergo adhuc per potentiam Dei absolutam nequit auferri nisi per infusionem gratiæ habitualis. Maior supponitur ex dictis dub. 3. & 4. Et minor probatur: nam offensæ peccati gravis afficiens Deum in seipso immediatè, à quo repellit rationem ultimi finis, tendit contra Deum finem supernaturalem, vel avertit à Deo sine supernaturali; sed offensæ peccati gravis Deo irrogata adhuc in statu naturæ puræ afficit Deum in seipso immediatè auferens ab eo rationem ultimi finis: ergo tendit contra Deum finem supernaturalem, seu avertit à Deo sine supernaturali. Minor videtur certa: nam offensæ peccati gravis in presenti statu afficit Deum in seipso immediatè, non alia ratione nisi quia auferit moraliter ab eo rationem ultimi finis, & postponit illum bono commutabili, & hac eadem ratione evadit simpliciter infinita; & cum offensæ peccati gravis in statu naturæ puræ hac omnia præstet, nequit non afficere Deum immediatè in seipso. Maior verò probatur: nam quòd aliquis actus tendat in Deum in seipso immediatè, est sufficiens, & præcipua ratio ipsum constituen-

di in ordine supernaturali: itaque Deus nequit videri in seipso immediatè, seu prout est in se adhuc ut author, & finis naturalis, nisi per visionem quæ sit in seipsa, & encitativè supernaturalis, vt nunc supponimus; vel, quod idem est, nequit non tendere in Deum etiam vt finem supernaturalem: ergo pariter offensæ peccati gravis Deo irrogata afficiens Deum in seipso immediatè est supernaturalis, vel avertit à Deo sine supernaturali.

104. Missis pluribus evasionibus, quæ ad rem non pertinent, sed spectant ad alios tractatus, Respondent adversarij, quòd offensæ gravis Dei, quamvis sit simpliciter infinita, & afficiat Deum in seipso immediatè, non avertit privativè à Deo sine supernaturali, nisi dum supponitur notitia Dei finis, & authoris supernaturalis, qua notitia caret homo constitutus in puris naturalibus, vt supponitur, & propterea non avertit privativè à Deo sine supernaturali, sed manet aversus tantum negativè à Deo sub expressione finis *supernaturalis*, sicut ante peccatum. Ad eum modum, quo qui interficeret Clericum, invincibiliter ignorans esse Clericum, non contraheret speciem sacrilegij. Ratio verò, cur omnis visio Dei in seipso est supernaturalis est, quia Deus in se est supernaturalis, & obijcit immediatè ipsi visioni, seu cognitioni. Ceterum offensæ Dei ita afficit Deum immediatè, quòd regulatur cognitione attingente Deum non immediatè, sed mediatè, & vt authorem præcisè naturalem, ideoque offensæ nequit esse supernaturalis (vt ita dicamus) est afficiat Deum immediatè, & sit simpliciter infinita in ordine tantum naturali.

Hac resolutio, quamvis nonnullam apparentiam habeat, non elevat vim nostræ rationis. Tum quia iuxta illam homo peccans in statu naturæ puræ non recedit à Deo, prout splendet in creaturis, quo pacto tantum attingit lumine naturalis rationis, sed etiam vt quid ab ipsis distinctum, & infinite superius: ergo ita recedit à Deo sine naturali explicitè, & quòd recedat virtualiter, implicite, & interpretative ab ipso absolute, & vt est finis supernaturalis. Antecedens iuxta solutionem proximè datam omnino debet admitti, alias offensæ non afficeret Deum in seipso immediatè, vt concedit prædicta solutio. Consequentia verò probatur: nam homo tendens contra Deum, prout est aliquid superius se, affectivè destruit omnes rationes in eo repertas, quamvis expressè non illas agnoscat, quia ex modo inconsiderato, & quasi tumultuario procedendi se exponit ad plura, quam expressè cognoscit: ergo non solum peccat contra Deum finem naturalem, sed etiam contra Deum finem supernaturalem.

Tum etiam, per quod præcedens probatio roboratur. Nam qui ductus non solum aliqua cognitio probabilis, sed etiam suspicio, aut

aut scrupulo vult saltem in confuso, & in communi aliquas circumstantias pravas, proculdubio incurrit malitiam earum, dummodò non addit probabile iudicium excludens talem scrupulum, aut suspicionem, vt tenent NN. Salm. tract. 13. disp. 10. num. 164. cum communi sensu Theologorum; sed homo in statu naturæ puræ, quamvis non agnoscat expressè Deum esse quid supernaturalem, habet tamen cognitionem in confuso Deum esse supernaturalem: cognoscit enim Deum esse quid superius, infinitum, & à se incomprehensibile, & posse plura facere, & iam ipse cognoscere valeat, quin formare valeat iudicium probabile, quòd Deus sit author præcisè naturalis: ergo affectivè destruens Deum prout est in se per peccatum grave, hoc est absolute, tendit contra ipsum vt finem supernaturalem, & offensæ evadit supernaturalis.

Tum deinde: Nam præfata solutio concedit, offensam plus se extendere, quam cognitionem à qua regulatur: cognitio enim tantum tangit Deum, prout relucet in creaturis, & effectibus naturalibus, offensæ verò est contra Deum in seipso immediatè, absolute, & absque limitatione quantum est ex se; sed quia visioni obijcit Deus immediatè, & prout est in se, visio ipsa est supernaturalis: ergo etiam offensæ debet esse supernaturalis adhuc in statu puræ naturæ.

105. Tum denique: Nam defactò plures dantur, qui laborant ignorantia invincibili Dei finis supernaturalis, & sunt infideles negativè, teste D. Thom. 2. 2. quest. 10. art. 1. hoc non obstanti, peccatum grave eorum averteret à Deo sine supernaturali: ergo pariter homo in puris naturalibus peccaret contra Deum finem supernaturalem, quamvis careret notitia explicita illius. Maior cum consequentia constat. Et minor probatur: Nam si averteret à Deo præcisè vt sine naturali, posset prædictum peccatum auferri per conversionem præcisè naturalem, quæ iuxta adversarios elici valet per vires tantum naturales superaddito ad summum aliquo auxilio gratuito naturali; sed hoc nequit admitti: ergo eò est, quia avertit à Deo sine supernaturali. Minor est certa: quia in presenti providentia homo non mundatur à peccato, nisi simul sanctificetur, & vnica causa nostræ iustificationis, saltem in presenti providentia, est gratia habitualis, vt decernit Trident. sess. 6. cap. 7. Maior verò probatur: nam si averteret præcisè à Deo vt sine naturali, peccatum habituale esset eiusdem rationis cum peccato habituali purorum: item posset contingere, quòd homo laborans ignorantia invincibili esset prius baptizatus, & hac ratione solum esset aversus à Deo sine naturali, & non minus potens esset ad alicuiusmodi amorem Dei finis naturalis super omnia, ac homo conditus in puris, & infectus

peccato gravi; sed prædicta aversio in statu purorum iuxta adversarios posset auferri per huiusmodi amorem naturalem: ergo etiam in presenti providentia.

Exemplum Clericidij facile dispellitur, si dicatur, quòd homo occidens Clericum, ignorans esse Clericum, potest prudens iudicium formare eum non esse Clericum post adhibitam sufficientem diligentiam, ad quod iudicium formandum non parum iuvat circumstantiam prædictam esse omnino accidentalem. At ratio entis supernaturalis est essentialiter imbibita in essentia Dei Authoris naturalis: aliunde in nullo statu homo, quæcumque ignorans affectus, potest non iudicare esse quid super omnes creaturas tam creatas, quam creabiles elevatum, posseque facere plura, quæ naturalem eius captum superant, in quibus ratio supernaturalitatis reipsa consistit. Et propterea quamvis signatè ignoraret Deum esse supernaturalem, exercite tamen, & in confuso cognosceret esse supernaturalem, & eadem de causa illum vt talem offenderet non minus proprie, ac qui occidens hominem cum aliqua suspicione, aut scrupulo, quòd sit Clericus, ignorans tamen esse Clericum, vetè participat malitiam sacrilegij. Et ratio est eadem utrobique: quia, quantum est ex se, sic operans omnibus se exponit, & Deum affectivè, & Clericum effectivè destruit.

§. II.

Argumenta opinionis contrariæ.

106. **A**rguitur primò: Nam peccatum habituale hominis in pura natura constituit, & ad finem supernaturalem non elevatum non esset privatio gratiæ, aut reëtitudinis supernaturalis, sed tantum reëtitudinis naturalis: ergo ad ablationem illius non requiritur gratia habitualis, sed factis est reëtitudo naturalis, cuius est privatio. Antecedens multipliciter probatur. Primò: nam homo in illo statu non haberet gratiam habitualem, nec haberet vllum debitum ad illam; sed carentia formæ, secluso omni debito, non est privatio, sed pura negatio: ergo peccatum in illo statu non esset privatio gratiæ.

Secundò: Nam peccatum, quod est privatio gratiæ, est aversio moralis, & privativa, seu voluntaria à Deo sine supernaturali: atqui aversio à Deo sine supernaturali in illo statu non esset voluntaria, cum ignoraret homo invincibiliter Deum vt finem, & authorem supernaturalem: ergo non esset privatio gratiæ habitualis.

Tertiò: Nam si peccatum in prædicto statu esset privatio gratiæ, & offenderet Deum authorem supernaturalem, teneret homo se

convertere ad Deum finem supernaturalem per contritionem, aut amorem supernaturalem super omnia; sed hoc non potest admitti, cum laborer in predicto statu ignorantia invincibili, & careat potentia ad prefatos actus: ergo non est privatio gratia.

Ad hoc argumentum respondetur, negando antecedens. Ad cuius primam probationem dicendum est, quod licet in illo statu carentia gratia non foret privatio ante peccatum, post peccatum verò esset vera privatio illius. Ante peccatum non esset privatio gratia, quia ut recte supponit argumentum, nullum esset debitum positivum ad illam: esset tamen post peccatum privatio, quia erat debitum non ponendi obicem ad illam, nec auferendi aptitudinem ad eam, & utrumque debitum violaretur per peccatum in illo statu, & hac ratione post peccatum esset vera privatio gratia. Quod illustrari potest auctoritate, & exemplis. Auctoritate: nam D. Thom. quæst. 4. de Malo art. 1. ad 14. sic ait: *Dicendum, quod carentia divine visionis dupliciter convenit alicui. Uno modo sic, quod non habeat in se, unde possit ad divinam visionem pervenire. Et sic carentia divina visionis competet ei, qui in solis naturalibus esset absque peccato. Alio modo potest alicui competere carentia visionis hoc modo, ut habeat in se aliquid, ex quo debeat ei, quod careat visione divina. Et sic carentia visionis est pena.* Constat autem apud omnes, quod carentia formæ nullo modo debite non potest habere rationem penæ: en ergo quomodo carentia visionis ante peccatum est pura negatio; & post peccatum est vera privatio, quia tollit aptitudinem ad eam, & ponit illi obicem. Sic similiter in nostro casu.

Illustratur exemplis: Si aliquis constitutus in puris naturalibus audiret ab alio Deum esse autorem supernaturalem, & illum offenderet, carentia gratia ante peccatum esset pura negatio, post peccatum verò esset vera privatio, ut nullus inficiabitur. Nec nos later notabilis differentia inter exemplum, & nostrum casum. Sed exemplum non tenere debet in omnibus, & hoc solum deservit ad insinuandum, quod carentia gratia ante peccatum ex defectu debiti ad illam est negatio; & post peccatum est privatio, quia ille homo licet non teneretur ad conversionem supernaturalem per gratiam, tenebatur verò ad non se avertendum ab illa. Pariter teneretur ad non ponendum obicem illi, & potest debet etiam post peccatum esse privatio. Item: nam potest contingere, quod homo nullum debitum habeat ad pontificatum, sit tamen capax ad hanc dignitatem; & tamen, si hæresim committat, redditur positivè ea indignus, ita ut carentia illius de negatione transeat in privationem, eò quod ponit obicem illi. Denique stat, quod aliquis non habens debi-

tum contrahendi amicitiam cum altero, illum graviter offendat: & tunc carentia amicitia ante offensam est pura negatio, & post illam est vera privatio. Sic ergo in presenti casu.

Ad secundam probationem responderetur concedendo maiorem; & negando minorem. Et ad probationem ibi inclusam dic, quod homo in statu naturæ puræ, quamvis laboraret ignorantia expressa Dei authoris supernaturalis, haberet tamen notitiam implicitam, virtuales, & confusam illius, quatenus expressè cognosceret Deum esse super omnem naturam creatam, & creabilem, in quo stat ratio propria supernaturalitatis: & in confuso cognosceret posse producere effectus supernaturales, dum expressè cognosceret Deum esse omnipotentem, & posse producere plura quæ captum eius superant, & in hoc consilii cognitione confusa, & virtualis Dei authoris supernaturalis. Cum hac autem cognitione, adiuncta simul suspitione quod Deus sit quid supernaturale, averteret se à Deo per peccatum in seipso immediate, ipsūque absolute destrueret affectivè, & conditionate effective, & hoc sufficit, ut homo per suum peccatum in illo statu averteretur verè, & propriè, hoc est virtualiter, & interpretativè à Deo ut sine supernaturali, & peccatum ipsum sit privatio voluntaria gratia. Sicut in presenti providentia ob eandem rationem infidelis negativè averteretur voluntarie per peccatum grave à Deo sine supernaturali.

Ad tertiam respondetur negando sequentiam maioris. Quia sicut homo in illo statu naturæ puræ ante peccatum non tenetur se convertere ad Deum ut finem supernaturalem, quia nec habet vires sufficientes ad illud, nec cognoscit sibi esse possibiles, ac proinde nec esse à Deo petendas; ita post peccatum non tenetur ad amorem supernaturalem Dei super omnia, seu ad contritionem supernaturalem ob eandem rationem: licet, quantum est ex se, daretur obligatio. Sicut homo nunc, post peccatum mortale, tenetur quantum est ex se ad satisfactionem infinitam, & propterea Christus eius vicem gerens tenetur ad illam ex iustitia: non tamen peccat homo eam non exhibendo ex defectu virium. Et quamvis cognosceret implicite, & in confuso Deum esse quid supernaturale, hoc autem non sufficeret ad talem obligationem, quia requiritur ad eam aliqua cognitio explicita, tum Dei authoris supernaturalis, tum possibilitatis virium, quas possit petere. Et licet hoc vltimum aliqua via in eius notitiam veniret, nullatenus eas assequeretur, cum petentibus ex viribus naturæ Deus nullo pacto, aut promissione teneretur illas conferre.

107. Arguitur secundò. Nam eadem proprietas ratio debet esse conversionis, & aver-

nis circa Deum: contrariorum enim eadem est ratio, maxime dum regulariter eadem cognitione; sed in puris naturalibus homo non potest converti ad Deum conversione supernaturali ex defectu non solum virium, sed etiam cognitionis expressæ Dei authoris supernaturalis: ergo nec averfio potest esse supernaturalis: ergo averfio à Deo in predicto statu sufficienter potest tolli per conversionem naturalem. Hoc secundum consequens legitime inferitur ex primo: nam si averfio non est supernaturalis, non est, cur requiratur gratia habitualis: non ad tollendam perseipsam averfionem, nam ad tollendam averfionem naturalem non requiritur conversio supernaturalis: non per modum removens prohibens elicere conversionem naturalem, quia gratia habitualis tunc hoc modo desideratur, quando voluntas est averfa privative à Deo sine supernaturali.

Roboratur hoc: Nam propterea averfio esset supernaturalis, quia homo in illo statu ita recederet à Deo sine naturali, quod simul indirectè, virtualiter, & implicite recederet etiam à Deo sine supernaturali; sed hæc ratio est nulla: ergo averfio non est supernaturalis. Minor probatur: nam nulla supposita elevatione, & cognitione supernaturali, homo accedens ad Deum finem naturalem, vel accedit indirectè ad Deum finem supernaturalem, & nihilominus conversio non est supernaturalis: & sic pariter licet averfio directè à Deo sine naturali sit indirectè à Deo sine supernaturali, non debet esse supernaturalis. Vel non accedit indirectè ad Deum ut finem supernaturalem: & si hoc dicatur: ergo nec recedit per peccatum à Deo sine supernaturali. Patet consequentia, quia regulatur averfio per eandem cognitionem, ac conversio.

Pro solutione huius argumenti, quod specie tenus videtur difficile, nota primò: conversionem ad Deum adhuc efficacem, & super omnia esse in duplici differentia: alia enim est præcisè per amorem non afferentem dolorem, seu contritionem formalem; & altera est per amorem afferentem dolorem, seu contritionem formalem. Ex quo duplex odium differendum est circa peccatum: nam aliud potest oriri ex simplici amore, quin afferat dolorem, seu contritionem formalem: & aliud supponens dolorem, seu contritionem formalem. Inter hos actus hæc est differentia, quod ad primam conversionem non requiritur virtus penitentia, idemque dicendum est de odio peccati, ut tradit D. Thom. 3. part. quæst. 85. art. 3. ubi dicit: *Penitentia non habet, quod sit virtus specialis ex hoc solo, quod dolet de malo perpetrato, ad hoc enim sufficeret charitas.* Idem tradit art. 2. ad 1. Ad secundam verò conversionem requiritur penitentia virtus. Et ratio huius discriminis est, quia sub ea-

dem ratione formali quis dolet, aut odio habet malum, ac gaudet, aut amat oppositum bonum. Cæterum contritio tendit directè contra offensam præteritam Deo irrogatam, quod est obiectum proprium penitentia. ¶ Nota secundò, contritionem, seu dolorem contra offensam Deo irrogatam talem debere esse, qualis est offensam, quia tendit in expulsiōnem eius directam. ¶ Nota tertio, quod averfio à Deo per peccatum grave in quocumque rerum ordine est offensam gravis Dei in seipso immediate, ut nunc supponi debet: ideoque ad eius expulsiōnem directam opus est non quacumque simplici conversione in Deum, sed cum contritione formali, quæ sit actus penitentia: hæc enim directè contrariatur peccato, quatenus est offensam passiva Dei, & non prima conversio.

Hiinc ad argumentum respondetur, quod licet conversio, quam homo in puris naturalibus potest elicere, nequeat esse supernaturalis, requiritur tamen conversio supernaturalis ad tollendam offensam passivam Dei ortam ex eius peccato gravi, quia predicta offensam afficit Deum immediate in seipso, ob quam rationem evadit supernaturalis. Neque est bonæ consequentia: homo ex defectu cognitionis Dei authoris supernaturalis nequit elicere unam, vel alteram conversionem supernaturalem, ergo neque potest se avertere à Deo sine supernaturali: Tum quia ad averfionem à Deo ut supernaturali sufficit cognitio illius implicita & confusa; ad conversionem verò requiritur explicita ob generale illam rationem, scilicet quia magis requiritur ad bonum, quam ad malum. Tum etiam, & præcipue: nam omnis conversio, quæ regulatur cognitione præcisè naturali, solum tendit in Deum prout relucet in creaturis, & non afficit ipsum immediate in seipso: unde, non procedente aliqua cognitione, aut noticia Dei authoris supernaturalis, ex nullo capite confurgit supernaturalis. At averfio non solum offendit Deum, prout cognitus est expressè in creaturis, sed etiam immediate in seipso, quia tollit ab eo rationem victimi finis, & colloca eam in creatura: & hac ratione cognitio confusa Dei finis supernaturalis satis est ad hoc, ut averfio sit supernaturalis.

Ex his constat ad robur difficultatis: Nam maior illius est vera, suppositis supponendis. Supponi quippe debet, quod recessus formalis à Deo sine naturali ita est recessus indirectus ab eo ut sine supernaturali, quod ex tali recessu resultet offensam recepta intrinsecè moraliter in Deo, ipsūque absolute affectivè destruat. Et in hac suppositione verum est, quod averfio est supernaturalis: ad quod satis est cognitio tumultuaria & confusa Dei, & amor interpretativus destruendi ipsam in seipso, & secundum

secundam se totam. At licet homo accedens ad Deum finem naturalem accedat indirecte & implicite ad ipsum vt supernaturalem, non attingit eum immediate in ipso, sed precise vt relucet in creaturis, & ad excessum adhuc implicitum, & indirectum in Deum, absolute tamen supernaturalem debet precedere cognitio aliqua expressa supernaturalis.

108 Arguitur tertio: Nam si ad remissionem peccati gravis esset necessaria gratia habitualis in puris naturalibus, sequeretur remissionem peccatorum esse impossibilem, manente homine in illo statu; hoc non est admittendum: ergo non est necessaria gratia habitualis. Sequela maioris est certa. Et minor probatur: tum quia ad eandem providentiam spectat peccata remittere, & illa praeavere; sed ad providentiam illius status spectaret praeavere peccata, aliis esset imperfecta, & peccata in illo statu evenirent necessario: ergo, manente statu naturae purae, non est impossibilis peccatorum remissio. Tum etiam: nam implicat Deum condere naturam humanam in eo statu, in quo necessario fit misera; sed homo in illo statu esset miser, cum ex vna parte non posset non peccare ex defectu virium sufficientium ad servandam totam legem per longum tempus; & ex alia non posset mundari a peccato, nisi elevetur per gratiam: ergo idem quod prius. Ex quo viterius sequeretur hominem in illo statu post primum peccatum esse obstinatum, nullumque habere remedium.

Confirmatur. Nam potest Deus homini in illo statu conferre auxilium efficax ad dilectionem naturalem Dei super omnia, sicut potest illud conferre ante peccatum; sed praedictus amor esset sufficiens ad expellendum peccatum: tum quia est impossibilis cum illo: tum & quia non haberet minorem bonitatem, quam malitiam haberet peccatum: ergo non est necessaria gratia habitualis.

Hoc argumentum potest retorqueri contra omnes adversarios ex duplici capite. Primo, quia si homo in illo statu mortaliter peccaret, necessario mutaret statum, cum transiret de statu naturae purae ad statum naturae corruptae per peccatum. Quid ergo mirum, quod intra statum naturae purae non sit vllum remedium ad remissionem, si reipsa decidit a praedicto statu: sicut contingit in statu elevationis, in quo homo lapsus non nisi ex speciali gratia potest reparari. ¶ *Secundo*: Nam peccatum grave pro illo statu in omnium adversariorum sententia nequit remitti nisi per condonationem extrinsecam, aut per auxilium efficax ad amorem naturalem Dei super omnia, quod est indebitum non solum homini, vt lapsus, vt omnes fateri tenentur, sed etiam homini in puris naturalibus ante peccatum, vt sentit Gonet tract. de Grat. disp. 1. num. 209. & tamen nullus negabit, con-

donationem offensae hoc, vel illo modo esse insignem gratiam: non ergo Deus per eandem providentiam hominem gubernaret post peccatum, & ante peccatum.

Respondetur ergo ad argumentum concedendo sequellam maioris (nec mirum quod impossibilis sit remissio peccati in illo statu, cum homo per peccatum grave mutet statum, & transiret ad statum naturae corruptae, quae reparari non potest nisi per gratiam sanantem) Et negando minorem. Et ad intelligentiam probationum illius, earumque expeditam solutionem nota primo, providentiam Dei (sive spectet ad statum naturae purae, sive spectet ad statum naturae elevatae, sive ante peccatum, sive post peccatum) esse ex parte recti eandem formalem absque distinctione virtuali, vt supponimus ex dictis in tract. de Praedest. & omnes eius denominationes penes naturalem, & supernaturalem, quae apud nos indicant nonnullam distinctionem, desumit ex comotatis, in quibus respicienda debet distinctio. ¶ Nota secundo, probationes adversariorum posse fieri in duplici sensu: vel ita quod providentia remittens peccata homini in puris naturalibus constituto sit debita in sensu composito illius vt lapsi; & hoc in nulla sententia debet admitti; cum nequeat negari post Deum graviter offensum esse specialem favorem illius deponere odium, & condonare offensam infinitam hoc, vel illo modo. Vel sensus est, quod auxilia specialia, medijs quibus remittitur peccatum, ita sunt gratia respectu hominis vt lapsi, vt sunt generalia respectu illius prout ante peccatum; sicut in hoc statu naturae elevatae auxilia illa, quae ante peccatum sunt debita, per peccatum sunt specialis gratia.

Hinc ad primam probationem dicendum est, remissionem peccatorum gravium in nullo ex praedictis sensibus pertinere ad providentiam naturae purae, vt plures adversarii fatentur, recurrentes ad auxilium speciale intra ordinem naturalem; indebitum tamen naturae humanae secundum se. Neque verum est, quod ad eandem providentiam pertineat remittere peccata, & ea praeavere: siquidem ad praeavenda peccata in illo statu sufficienti in omnium sententia vel auxilia generalia illius status, vel specialia intra ordinem naturalem; ad remissionem vero illorum omnino requiritur gratia habitualis propter rationem traditam pro nostra sententia. Neque ex hoc sequitur primo, providentiam illius status esse imperfectam: quia ad eius perfectionem satis est, quod provideat omnia, quae praedictus status postulat. Status autem naturae purae, cum sit ex se defectibilis, non petit auxilia ad praeavenda peccata per longum tempus: potiori ergo titulo non exposcit auxilia sufficientia ad remissionem eorum post lapsum. Sicut providentia illius status non petit praeavere omnia mala corporalia, v. g. cacitatem,

tatem, & mortem; & multo minus restituere visum, & vitam. Neque sequitur secundo, hominem in illo statu peccare necessario, quia ad hoc iam constat ex dictis tract. praed. disp. 1. dub. 4. per totum. Et licet concedamus, posse hominem in illo statu per auxilia generalia illi debita praeavere omnia peccata, non propterea concedere tenemur remissionem illorum fieri posse per eadem auxilia, aut eandem providentiam, quia nullum est praecipuum in illo statu tendendi ad Deum immediate in seipso, & per peccatum recedit a Deo immediate in seipso, & hac ratione auxilia ad remissionem peccatorum petunt esse altioris ordinis, quam auxilia requisita ad non peccandum.

Ad secundam probationem respondetur, iuxta doctrinam loco proxime relato traditam, quod homo in statu naturae purae, licet non possit per longum tempus vitare omne peccatum cum concursu Dei debito pro illo statu, liberè tamen peccaret: ad quod satis esset, quod haberet auxilium sufficiens ad impletionem cuiuslibet praecipii scilicet sumpti. Semel quod esset, nullum est inconveniens concedere, quod necessario sit miser: quia voluntarie se traderet praedicto statui. Ad sequellam ex praecedentibus probationibus illatam facile responderet, si dicitur statum obstinatorum longe distare a statu hominis puri, & simul lapsi: nam imprimis homo obstinatus non potest elicere aliquod opus bonum morale; homo vero in puris naturalibus conditus, & simul lapsus ex vi status posset efficere, & delecto obsecret plura opera bona moralia. Deinde obstinatus absque miraculo non potest suum statum deponere; homo autem in statu naturae purae, & lapsus non egeret speciali miraculo ad remissionem peccati, sed tantum elevatione, quae non esset miraculosa, sicut nec fuit, nec est miraculosa elevatio hominis ad statum gratiae, sive ante peccatum, sive post peccatum. Tandem (& est radix praecedentium) obstinatus ex intrinseca sui dispositione orta ex statu alterius vite manet inflexibilis in peccato, nihilque potest appetere nisi cum relatione actuali saltem virtuali ad finem malum; homo autem in statu naturae purae, & lapsus, etsi maneret semper in peccato, non haberet praedictam dispositionem intrinsecam, ratione cuius semper appeteret finem pravam, sed tantum careret elevatione, & hoc fundaretur precise in dispositione extrinseca Dei volentis illum elevare.

Ad confirmationem respondetur primo negando maiorem. Et ratio est: quia homo in illo statu esset avertus a Deo vt sine supernaturali: Semel avertus ab eo vt sine supernaturali, necessario est avertus a Deo vt sine naturali, & hac ratione nequit Deus conferre auxilium efficax ad conversionem naturalem; aliis maneret convertus, & avertus a Deo vt sine naturali,

cum maneret avertus a Deo sine supernaturali (quod est idem, ac esse avertus ab eo sub generali ratione) & hominem esse convertum ad Deum finem naturalem precise non sit positive esse convertum sub generali ratione, propter dicta num. praed. ¶ Respondetur secundo, permissa maiori, negando minorem: quia solus ille amor esset sufficiens ad eludendum peccatum, qui tenderet ad Deum immediate in seipso, cum homo per offensam Deo irrogatam recedat ab eo prout in seipso, & contrarium eadem debeat esse ratio. Amor autem naturalis Dei super omnia non tendit ad ipsum immediate, sed mediate, hoc est, prout relucet in creaturis; ita data hypothese sine possibili, sive impossibili, quod homo eliceret praedictum amorem, non propterea mundaretur a peccato, quia non haberet tantam bonitatem, quantum malitiam haberet peccatum. Per quod conitatur ad duas probationes ibi inclusas.

DUBIUM. II. Appendix.

In quo consistat macula peccati venialis: Et qua forma requiratur ad illius remissionem?

109 **H**OC dubium quoad primam partem propriam sedem habet in tract. de Peccatis: nam de macula peccati venialis tractat D. Thom. in hac 1. 2. quest. 89. art. 1. Quoad secundam partem pertinet ad 3. part. quest. 87. Sed quia nos primo loco consulto nihil egimus de praedicta macula habituali, & hi nostri tractatus ad praefatam questionem tertiae partis perventuri non sunt, operae pretium diximus has duas difficultates simul per modum appendixis praesenti disputationi annexae, vt lector nihil desideret, quod ad remissionem peccatorum conducit.

Et in limine supponendum est cum communi sensu Theologorum, transacto peccato veniali, manere in anima quandam maculam habitualement, ratione cuius ille, qui peccavit, manet reus non solum reatu poenae, sed etiam reatu culpae: nam sicut ex actu peccati mortalis resultat in anima, quedam macula, a qua post cessationem actus dicitur homo habitualiter, & intrinsece maculatus; & habitualiter peccator; ita ex actu peccati venialis promanant sua qualis qualis macula, a qua denominatur *serpidus*, & *coinquinatus*: cum hoc discrimine, quod macula peccati mortalis dicitur simpliciter, & altera tantum secundum quid, vt non obscure docet D. Thom. loco supra relato ex 1. 2. Quo supposito difficultas est apud Scholasticos, in quo haec macula ex actu peccati venialis inducitur, & post actum peccati manens, consistat? Ex cuius resolutione facilis forte sternitur via ad aliam difficultatem, in qua inquiritur, quae

lis sit forma, per quam prædicta macula remittatur?

Circa quam difficultatis partem tres principales invenio sententias, discurrentes per quandam analogiam quam habet peccatum veniale cum mortali. *Prima* asserit, peccatum præteritum, & non retractatum ex parte peccatoris, nec condonatum ex parte Dei pertinere ad essentiam maculae peccati venialis, itaut illa dux negationes retractationis, & condonationis pertineant ad constitutionem illius per modum partium integralium, aut saltem per modum conditionis. Ita communiter recentiores Societatis. *Secunda* docet, peccatum habituale veniale constitui per reatum, seu obligationem ad penam. Ita Scotus cum tota eius schola. *Tertia* defendit, maculam peccati venialis consistere in carentia voluntaria fervoris, aut nitoris gratia, seu charitatis. Ita perpetuo D. Thom. & communiter eius discipuli.

Circa secundam difficultatis partem plures sunt sententia. *Prima* tenet, peccatum veniale posse remitti per solam condonationem extrinsecam Dei. Ita Scotus cum eius discipulis, quem sequuntur etiam communiter recentiores Societatis. *Secunda* censet, ad eius remissionem sufficere solutionem poenae. Ita Scotus in 4. dist. 15. quest. 1. art. 4. *Tertia* docet, attritionem sufficere ad remissionem venialium. Pro qua referuntur Durandus, Palud. Argentinas, & alij. *Quarta* recurrit præcisè ad retractationem virtutalem, quæ in pluribus virtutum actibus præter amorem charitatis, reperiri valet. Pro qua citantur Bonavent. in 4. dist. 21. art. 1. quest. 2. & Scotus ibidem quest. 1. cum alijs tam extra, quam intra Scholam D. Thom. *Quarta* prærequirit vel contritionem, aut amorem charitatis, vel attritionem supernaturalem cum sacramento. Ita Vazquez, Arauxo, & alij. *Quinta*, & *ultima* non admittit aliam formam peccati venialis absterivam nisi contritionem perfectam, vel amorem charitatis. Ita quidam Iunior Thomista, quem suppresso nomine referunt, & ex magna parte sequuntur NN. Salm. in præf. disp. 2. dub. 8. relinquentes approbationem prudentis lectoris iudicio, & suum ultimum iudicium suspendentes vsque ad præcitatum locum tertiae partis, ubi prædictam sententiam temperarunt in Comment. ad art. 1. num. 17. & tract. 22. disp. 10. num. 11. §. In assignando, & tract. 24. disp. 7. num. 132. asserentes peccata venialia remitti per attritionem elicitam

à iusto, & ad ipsa directam.



Prioris difficultatis resolutio.

110 Dicendum est primò, in hac evidentiâ maculam habituales ex peccato veniali relictam non consistere in peccato præterito non retractato, & non condonato, tametsi hæc duæ negationes accipiantur per modum puræ conditionis, sive per modum partis intrinsecæ; neque in obligatione ad penam temporalem, sed in privatione fervoris charitatis. Hanc conclusionem tradit D. Thom. pluribus in locis, præsertim in hac 1. 2. quest. 89. art. 1. in corp. ubi sic concludit: *Et si alicubi dicatur maculam inducere, hoc est secundum quid, in quantum impedit nitorum, qui est ex actibus virtutum.* Idem tradit in 4. dist. 16. quest. 2. art. 2. quest. hinc. 1. ad 1. ubi ait: *Dicendum, quod macula potest esse dupliciter: uno modo per privationem pulchritudinis: & sic in veniali non manet aliqua macula, quia non tollit gratiam, qua est anima decor. Alio modo per hoc, quod pulchritudo, qua est gratia, impeditur, ne exterius appareat: sicut per pulverem pulchritudo faciei sedatur: & talis macula est in veniali, quia impeditur decor gratia, ne in actibus exterius ostendatur.* Et ad 2. explicans fervorem, quo macula peccati venialis privat, hæc ait: *Dicitur fervor charitatis per similitudinem, secundum quod ad exteriora quodammodo ebulliendo refunditur. Ex illa autem parte, qua veniale committitur, charitatis fervor non apparet.* Ex quibus etiam apparet, iuxta D. Thom. maculam peccati venialis consistere in carentia fervoris charitatis.

Hinc probatur nostra conclusio quoad singulas partes. Et primò rejicitur sententia recentiorum Societatis: nam macula peccati venialis non consistit in peccato actuali præterito secundum se, nec in illo simul cum negationibus retractationis, & condonationis, sive sumantur per modum conditionis, aut per modum partis: ergo nullo modo consistit in peccato actuali præterito. Antecedens quoad primam partem videtur persè notum; aliàs post illius remissionem homo diceretur *maculatus*, cum verum esset dicere, quod peccavit. Quoad secundam verò probatur: nam negatio retractationis, & condonationis supponunt maculam peccati venialis habitualiter in anima permanentem, quæ est obiectum tam retractationis, quam non retractationis; tam condonationis, quam non condonationis, sicut quilibet actus supponit suum obiectum; constat autem, quod actus non pertinet ad constitutionem sui obiecti nec per modum partis, nec per modum conditionis essentialis: ergo neque negatio condona-

donationis, aut retractationis concurrunt, sive per modum partis, sive per modum conditionis ad formale constitutum maculae peccati venialis.

Et confirmatur primò. Siquidem neque peccatum originale, quod est quoddam peccatum habituale, neque macula peccati mortalis consistunt in peccato actuali præterito secundum se, neque in illis simul cum negationibus retractationis, & condonationis, sive per modum partis, sive per modum conditionis: ergo idem dicendum est de macula peccati venialis. Consequentia à paritate constat, nisi adversarij velint negare, ex peccato veniali vllam maculam habituales relinquere in anima contra manifesta sacræ Scripturæ testimonia: maximè contra illud Ioann. 13. *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet*, ubi per pedum lotionem intelligitur venialium munditia. Antecedens quoad peccatum originale, ex cuius probatione pendet omnino probatio quoad maculam peccati mortalis, suadetur: tum ex Trident. sess. 5. can. 3. ubi dicitur de illo, quod est *generatione omnibus transfusum, & quod inest unicuique proprium.* Tum etiam: nam hoc proprium, & intrinsecum, quod iuxta sacrum Concilium pertinet ad constitutionem peccati originalis nostri, est obiectum tam retractationis, & non retractationis, quam condonationis, & non condonationis: ergo hæc negationes nullo modo spectant ad constitutionem illius. Tum denique: nam denominatio intrinsecæ, & fixa, qualis est peccatoris ratione peccati originalis, nequit provenire nisi à forma fixa, & intrinsecæ, vt ex se liquet; sed peccatum actuale Adami est quid transiens, & nobis extrinsecum: retractatio, & non retractatio (idem dic de condonatione, & non condonatione) sunt etiam quid extrinsecum peccato originali: sicut omnis actus est quid extrinsecum suo obiecto: ergo peccatum originale non consistit in peccato actuali Adami præterito secundum se, aut simul cum prædictis negationibus.

111 Secunda pars nostræ conclusionis, quæ procedit contra Scotum, probatur ratione generali omni peccato habituali: Nam obligatio ad penam, vel est præcisè denominatio extrinsecæ desumpta à lege divina taxante penam, vel est aliqua ratio intrinsecæ peccatori exigens ipsam penam, vel est denominatio extrinsecæ desumpta ab ipso actu peccati, quatenus, eo ipso quod peccavit homo, redditur dignus ex ipso actu peccati, quod ordinetur ad penam; sed in nulla ex ipsis rationibus potest macula peccati venialis consistere, immò nec macula habitualis cuiusvis alterius peccati habitualis: ergo macula habitualis peccati venialis nequit consistere in obligatione ad penam. Minor probatur quoad primam partem: tum ex de-

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

finitione Gregorij XIII. & Pij V. in bulla contra Baium, in qua inter alias propositiones damnatur propositio 53. quæ dicit: *In peccato duo sunt, actus, & reatus: transiente actu, nihil remanet nisi reatus, seu obligatio ad penam.* Tum etiam: nam obligatio ad penam orta ex actu voluntatis divine est de genere boni, est enim denominatio extrinsecæ proveniens ex ipso actu, qui est sanctissimus: ergo nequit constituere vllam culpam habituales. Tum deinde: nam potuit Deus nullam statuetæ penam pro peccato: ergo nulla tunc esset obligatio ad penam orta ex lege divina; & tamen adhuc macula remaneret in anima habitualiter, ergo idem quod prius. Tum denique: nam remissa culpa, & ablata macula, potest remanere ordinatio ad penam, quia post iustificationem non semper pena remittitur, vt docet Concil. sess. 14. can. 10. ergo. Adde rationem à priori: nam homo post peccatum actuale denominatur intrinsecè peccator, & cum dignitate ad penam; sed obligatio ad penam orta ex lege supponit hanc dignitatem: ergo obligatio, seu deputatio ad penam supponit maculam habituales. Et propterea D. Thom. in 2. dist. 42. in exposit. textus ait, quod *macula est medium inter actum peccati, & reatum (nempe poenæ) quasi effectus actus, & fundamentum reatus.*

Probatur eadem minor quoad secundam partem: Nam ratio intrinsecæ exigens penam idem est apud adversarios, ac condignitas ad penam; sed condignitas ad penam supponit maculam: ergo macula peccati venialis non consistit essentialiter in condignitate ad penam. Minor probatur: tum quia non ideo quis est intrinsecè peccator, vel maculatus, quia est dignus poenâ, sed econtrâ est dignus poenâ, quia est peccator, seu maculatus: ergo condignitas ad penam supponit maculam. Tum etiam: nam in communi sententia dignitas ad penam est proprietates culpæ, sicut proprietates est bonitatis moralis condignitas præmij: ergo condignitas habituales, & intrinsecæ ad penam supponere debet maculam habituales intrinsecam. Tum denique (per quod præcedens probatio corroboratur.) Nam post actum peccati manet homo intrinsecè peccator, maculatus, & reus tantæ culpæ, quam poenæ, vt constat in peccato originali, de quo D. August. lib. 1. Retract. cap. 15. ait: *Quia verò peccatum, quod nos ex Adam dicimus originaliter contrahere, id est reatu eius implicatos, & ob hoc poenâ obnoxios detineri: ubi cum dicit reatu eius implicatos, reatum culpæ significat; & dum addit, & ob hoc poenâ obnoxios, reatum poenæ innuit, & de quo Trident. statuit inesse intrinsecæ vnicuique nostrum, vt vidimus num. præcæ sed prior est denominatio intrinsecæ maculati, & peccatoris, quam dignitas ad penam, & hæc*

denominaciones pari cursu procedunt, itaut si vna est actualis, habitualis, intrinseca, vel extrinseca, etiam alia: ergo.

Ex quo eadem minor probatur quoad tertiam partem. Nam peccatum praeteritum non est sufficiens ad denominandum hominem habitualiter maculatum, seu peccatorem: ergo nec dignitas orta immediate ex actu peccati. Antecedens est certum iuxta dicta num. praec. Et consequentia probatur: nam dignitas ad penam est proprietas peccati; sed implicitorium est proprietatem permanentiorem esse, quam essentiam: ergo si peccatum actuale ineptum est ad denominandum habitualiter peccatorem, etiam dignitas ad penam, *Explicatur*. Nam dignitas habitualis ad penam orta ex actu peccati, vel est extrinseca, vel intrinseca moraliter; sed in neutro sensu potest consistere peccatum habituale: nam praedicta dignitas est proprietas peccati, & hoc non plus debet se protendere ad conferendam denominationem digni ad penam, quam ad denominationem peccatoris, seu maculati, seu ad tribuendam denominationem secundariam, quam ad primariam: ergo vel peccatum actuale secundum suam rationem primariam malitia est, quod extrinsece, vel intrinsece moraliter denominat maculatum, vel dignitas ad penam, vndequeque oriatur, non est sufficiens. ¶ Roboratur hoc: supponendo cum adversarijs, peccatum actuale habere suam intrinsecam dignitatem ad penam, & inquirendo ab illis: ex hac dignitate actuali proportionata cum malitia actuali resultat tanquam effectus distinctus alia dignitas habitualis intrinseca, aut physice, aut moraliter, vel illa eadem dignitas actualis transe in habitualem per denominationem extrinsecam, sive ratione persistentiae moralis? Quidquid eligant, planè convincitur, peccatum actuale secundum primariam rationem malitiae hoc posse praestare. In qua suppositione iterum quæro ab eis, cur in praedicta dignitate hoc, vel illo modo sumpta constituunt maculam habitualem peccati, & non in ipsa primaria ratione malitiae vno, vel altero modo accepta? Maneat ergo, maculam peccati venialis non consistere in dignitate ad penam: & cum ex dictis num. praec. satis probetur non consistere in actu praeterito non retractato, aut condonato, planè convincitur consistere in aliqua macula habituali animam physice inficiante.

112 Tertia, & vltima pars nostrae conclusionis probatur. Nam macula peccati venialis non consistit in aliquo positivo, neque in privatione gratiae, aut charitatis adhuc secundum partem, seu aliarum virtutum, neque in privatione fervoris aliarum virtutum. Non in prima ratione: nam ex rationibus positivis praeter supra relatas, & impugnatas solum possunt assignari vel dispositio, aut habitus vitiosus reli-

quus ex actibus peccati; & in his nequit consistere, quia remissa culpa plerumque remanet entitas habitus, aut dispositionis vitiosa, sicut contingit in habitu, seu dispositione causata à peccato mortali; & quia in omnium sententia habitus, dispositioque sunt tantum casualiter peccata, & hic sermo est de macula habituali formaliter peccaminosa. Vel in conversione habituali ad aliquid temporale amatum citra aversionem ab vltimo fine connotante actum praeteritum non retractatum: & neque in hac potest consistere, quia non distinguitur ab entitate voluntatis, ob quam rationem macula peccati mortalis nequit consistere in conversione habituali ad bonum commutabile vt vltimum finem. Neque in privatione charitatis adhuc secundum partem: aliàs, multiplicatis peccatis venialibus, tora charitas posset extingui. Neque in privatione aliarum virtutum: quia data hypothese, quod per repetitionem peccati venialis intra eandem speciem destrueretur virtus, v. g. per mendacia veritatis virtus, praedicta virtus directe destrueretur per vitium oppositum; sed constat ex supra dictis, vitium (idem dicendum est de privatione ei annexa) non pertinere ad rationem peccati: ergo neque consistit in privatione aliarum virtutum. Neque in privatione fervoris aliarum virtutum à charitate: quia omnia peccata venialia conveniunt in hoc, quod privent fervore charitatis, cum in illa nequeat charitas influere actualiter: ergo potiori titulo debet consistere macula peccati venialis in privatione fervoris charitatis, quam in privatione fervoris aliarum virtutum.

Confirmatur. Ex peccato veniali resultat quaedam offensa Dei, quae licet non tollat ab eo actum vltimi finis, impedit tamen, ne actu terminet praedictum peccatum; proindeque est privatio extensionis, & terminationis actualis ad tale opus: ergo etiam macula peccati venialis consistere debet in diversione habituali à praedicto fine, retenta conversione habituali ad illum; sed hæc diversio habitualis haud melius potest explicari, quam per privationem fervoris charitatis, siquidem proprium munus fervoris charitatis est actu convertere omnes actus nostros in Deum vltimum finem: ergo in privatione huius fervoris consistere debet macula peccati venialis.

§. II.

Posterioris difficultatis resolutio.

113 **D**icendum est secundò, peccatum veniale non posse remitti formaliter per solam condonationem extrinsecam Dei: nec per solam solutionem poenae; neque per attritionem secundum suam essentialia sumptam; neque per retractionem virtualem,

quem, quæ in exercitio aliarum virtutum à charitate reperiri valet, neque per attritionem vna cum sacramento; sed tantum per contritionem perfectam, aut amorem charitatis, aut denique per attritionem supernaturalem elicita à iusto, & ad peccata directam, quatenus importat imperium charitatis.

Prima pars nostrae conclusionis potius debet supponi quam probari: quia ex dictis dub. 3. per tot. satis constat, denominationem aliquam intrinsecam ortam ex aliqua privatione non posse tolli nisi per introductionem formae, cuius est privatio, vt constat in privatione lucis, & propterea ibi probavimus maculam peccati mortalis sive personalis, sive originalis, quæ in privatione voluntaria gratiae consistit, non posse auferri per solam condonationem extrinsecam, sed necessaria est omnino infusio gratiae habitualis, aut alterius formae eminentioris; atqui macula peccati venialis consistit in privatione physica, & morali fervoris charitatis, denominataque hominem intrinsece maculatum, & condignum poenae temporalis: ergo si vera sunt ibi stabilita, opus est, quod intercedat aliqua mutatio intrinseca ex parte hominis ad ablationem peccati venialis. Immo necessaria est mutatio supernaturalis, vt ex dictis constat.

114 Secunda pars nostrae conclusionis, ni fallor, evidenter suadet: Nam si sola infusio poenae esset sufficiens ad remissionem culpae venialis, posset quis sive in hac vita, sive in alia ab ea mundari, etiam si habeat affectum formalem, sive virtualem ad illam: quia, vt inquit Scotus in 4. dist. 21. quest. 1. peccato veniali sive remisso, sive non remisso, sive coniuncto cum peccato mortali, sive non coniuncto, adhuc peraccidens non debetur poena aeterna; sed omnino implicat peccatum dimitti, dum homo est affectus ad illud sive virtualiter, sive formaliter: ergo per solam solutionem poenae nequit dimitti peccatum veniale. Minor est certa: nam supposito, quod peccatum nequeat dimitti per solam condonationem extrinsecam, omnes fatari tenentur non posse dimitti, dum actu committitur, immò plures ex ijs, qui pro remissione illius solam condonationem extrinsecam statuunt, firmiter tenent non posse remitti in instanti, quo committitur. Sequela maioris probatur: nam si sola solutio poenae est sufficiens ad remissionem peccati venialis, non requiritur retractatio ex parte peccatoris; sed, hac non requisita, non est, vnde repugnet peccatum remitti, dum actu committitur, vt consideranti constabit: ergo.

115 Tertia pars conclusionis efficaciter suadet: Nam mutatio intrinseca necessaria ad destructionem peccati venialis debet illi ex natura sua opponi; sed attritio sive naturalis, sive supernaturalis non opponit ex natura sua

maculae peccati venialis: ergo sola attritio secundum sua essentialia non est sufficiens ad remissionem peccati venialis. Maior est certitudo si mutatio intrinseca non habet ex natura sua oppositionem cum macula peccati venialis, non est vade removeatur, nisi addatur nova forma, vel recurratur ad condonationem sui favorem Dei extrinsecum. Minor vero probatur: tum quia macula peccati venialis consistit in fervoris charitatis carentia: ergo solus fervor charitatis, aut aliquid emittens est cum illa incompossibile; sed attritio adhuc supernaturalis est quid inferius fervore charitatis, vt nullus inficiabitur: ergo non opponitur ex natura rei maculae peccati venialis. Tum etiam: nam praedicta macula consistit in eo, quod homo diverteret à Deo vt est vltimus finis, & propterea resultat in Deo offensa passiva privans cum extensione actuali in opus peccati, quatenus est vltimus finis: ergo sola illa forma potest opponi cum praedicta macula, & offensa, quæ potens est actualiter referre in Deum vltimum finem; atqui attritio adhuc supernaturalis hoc non potest praestare: ergo idem, quod prius. Tum denique: nam attritio supernaturalis secundum se adhuc directa ad omnia, vel aliqua peccata venialia est coniungibilis cum illis, vt liquet in peccatore, qui potest elicere praedictum actum, & cui nulla venialia possunt remitti, nisi supposita remissione mortalium, vt tradit D. Thom. 3. part. quest. 87. art. 4. & in 4. dist. 16. quest. 2. art. 1. quest. iunc. 3. his verbis: *Quia remoto priori, remouetur posterius, nec posterius potest restitui, nisi priori restituto. Fervor autem charitatis, cui veniale opponitur, est posterius ipsa charitate. Unde quoad charitatem reparari potest. Quod est idem, ac dicere, quandiu peccatum mortale non auferatur per gratiam, & charitatem, nec venialia remitti queunt per fervorem eiusdem charitatis: ergo.*

116 Ex quibus quarta pars nostrae conclusionis facile suadet: Nam attritio maxime supernaturalis magis proportionata est ex se ad delenda peccata venialia, quam actus aliarum virtutum à charitate, quia est poenitentia formalis, & actus aliarum virtutum adsummum est quaedam displicentia implicita illorum, sicut verò poenitentia formalis, seu virtualis: & ita nullus, quem vidimus, concedens actibus aliarum virtutum vim ad delenda peccata venialia, negat attritioni eandem, aut maiorem vim; cum innumeri sint, qui hanc vim attritioni attribuunt, & illam negant aliarum virtutum exercitio: ergo si attritio supernaturalis secundum se non est sufficiens ad remissionem venialium, nec sufficiunt actus aliarum virtutum à charitate. Patet consequentia: quia nulla ex relatis probationibus ita virget in attritiones

vt efficacius non suadeat in actibus aliarum virtutum; & propterea in hoc non amplius immoratur.

117 Quinta pars nostrae conclusionis, videlicet attritionem vna cum sacramento non esse formam expulsiuam venialium, suadet. Sed prius debet supponi non esse sermonem de attritione, quae elicitur ab homine iusto vel continuatur formaliter vsque ad instanti iustificationis, quia de hac loquimur num. seq. sermo igitur est de attritione elicta a peccatore, & cessante formaliter ante iustificationem quae fit tamen pars & dispositio sufficiens ad sacramentum fructuosum. Quod autem attritio hac non sit forma expulsiua venialium, probatur sequenti ratione: Nam attritio vna cum sacramento non est sufficiens ad remissionem venialium, quatenus effectiue producit habitum gratiae, & charitatis, ita ut gratia, & charitas sint forma in mediata expulsiua venialium; nec ratione gratiae, quam producit vt pars sacramenti, redditur actualiter virtualiter contritio, aut actus charitatis: ergo simul cum sacramento non est remissio venialium. Consequenter est legitima: nam peccatum veniale, cum consistat formaliter in privatione fervoris charitatis, solum potest auferri formaliter per fervorem charitatis, siue virtutalem, siue formalem, qui est actus charitatis, vel contritio perfecta hunc actum necessariò supponens. Antecedens vero probatur quoad primam partem: tum ex D. Thom. 3. part. quaest. 87. art. 2. ad 1. vbi ait: *Remissio venialium est effectus gratiae per actum, quem de novo elicit, non autem per aliquid habituale de novo animae infusum.* Idem tradit ad 3. & art. 4 ad 2. & in 4. dist. 16. quaest. 2. art. 3. quaest. iunc. 1. & quaest. 7. de Malo art. 11. ad 4. vbi ait: *Dicendum, quod habitualis displicentia non sufficit ad remissionem venialis, sed requiritur actualis.* Tum etiam: nam macula peccati venialis non consistit in privatione gratiae, aut alterius praedicti habitualis, alias aliquem habitum excluderet, & propterea est composibilis cum ea; sed nulla privatio potest tolli nisi per formam ei oppositam formaliter, vel eminenter: ergo per solum gratiam habitualemente causatam ab attritione vt parte sacramenti, aut per aliquid aliud habituale nequit auferri peccatum veniale.

118 Quoad secundam partem etiam ostenditur idem antecedens. Nam intantum attritio fieret virtualiter actualiter contritio, aut actus charitatis, quatenus virtualiter perseverat in gratia, quae est terminus illius; sed hoc est falsum: tum quia nullus actus dicitur virtualiter perseverare in eius termino, qui se habet per modum habitus, sed tantum habitualiter: & ita actus intensus virtutis acquisitae producit inpenionem habitus, & non perseverat virtualiter,

sed tantum habitualiter in intensione habitus; alias homo iustus continuò mereretur, quandiu durat existentia praedictae intentionis, & homo actualiter esset peccans, dum perseverat habitus vitiosus productus per actum: ergo attritio ratione gratiae, quam in sacramento producit, non est actualiter virtualiter contritio, aut actus charitatis. Tum etiam: nam quis cum peccato mortali, in quo fuit ab instanti vsus rationis, & accedens ad sacramentum penitentiae cum sola attritione, si, antequam Sacerdos profecerat formam absolutionis, incidat in amentiam, & in ea absolvat, statim iustificatur in omnium sententia, & sic perseverans vsque ad mortem salvabitur, non propter merita, seu per modum coronae, sed tantum per modum haereditatis; sed hoc verificari non potest si attritio, quae est pars sacramenti, virtualiter actualiter perseveraret in gratia, & esset virtualiter actualiter contritio, & actus charitatis: quia in omnium sententia perseverantia actualis virtualis alicuius actus virtuosus in homine iusto est sufficiens ad meritum: ergo idem, quod prius. *Adhaec*: Nam perseverantia virtualis actualis alicuius actus in aliquo termino tunc contingit, quando talis terminus se habet per modum viae, aut motus ad ulteriorem terminum; atque gratia habitualis, non est huiusmodi, sed est ultimus vna cum charitate, & alijs virtutibus iustus non constituit subiectum quasi in via ad ulteriorem terminum, sed in statu permanenti, & habitualis ergo attritio non perseverat in gratia, & charitate virtualiter actualiter, sed tantum habitualiter.

119 Ultima pars nostrae conclusionis, quantum ad actum formalem charitatis ad peccata venialia directum perpetuò traditur a Div. Thom. praecipue 3. part. quaest. 87. per tot. & quaest. 7. de Malo art. 11. vbi in corp. art. sic concludit: *Et ideo oportet dicere, quod venialia remittuntur eis post hanc vitam, etiam quantum ad culpam, eo modo quo remittuntur in hac vita, scilicet per actum charitatis in Deum repugnante venialibus in hac vita commissis.* Et ad 9. argument. ait: *Remittitur ergo in purgatorio veniale quantum ad culpam virtute gratiae, non solum secundum quod est in habitu, quia sic compatitur veniale peccatum, sed prout exit in actum charitatis destantis veniale peccatum.* Et art. seq. vbi loquitur de remissione venialium in hac vita, ita resolvit: *Dicendum quod, sicut supra dictum est, per fervorem charitatis peccata venialia remittuntur.* Et ratio brevis est: nam nulla aptior forma ad remissionem venialium potest excogitari, quam ea quae directus eis opponitur: & quidquid sit de alijs formis, de hac nullus sane mentis potest dubitare; sed nulla forma directus opponitur maculae peccati venialis, quam fervor, aut actus charitatis, cum

in

in privatione illius consistat, ergo actus charitatis est forma sufficiens ad remissionem venialium.

Ex quibus liquet, per actum contritionis perfectae, prout ab attritione distinguitur, etiam posse remitti venialia. Tum quia supponit essentialiter actum charitatis. Tum & quia est retractatio formalis peccati venialis prout hoc est malum Dei, & prout est diversio à Deo: quia, prout includit actum charitatis, convertit creaturam ad Deum, & prout est retractatio formalis, tendit directè contra offensam passivam Dei.

120 Quantum ad actum attritionis elictae ab homine iusto, & ad peccata directae, quòd difficultate non vacat, suadet sequenti ratione: Nam attritio supernaturalis hominis iusti est virtualis contritio, seu actus charitatis: ergo si actus charitatis, & contritio est forma sufficiens ad venialium remissionem, etiam attritio elicta ab homine iusto. Antecedens probatur: nam attritio supernaturalis hominis iusti, prout imperatur à charitate, refertur ad Deum ultimum finem supernaturalem super omnia dilectum, ideoque tendit non solum in proprium obiectum, & ex proprio motivo, sed etiam in proprium obiectum charitatis, & ex motivo illius; sed nullus actus potest tendere in obiectum charitatis, nisi virtualiter, aut formaliter sit actus charitatis, nisi virtualiter, aut formaliter sit actus charitatis: ergo talis attritio est virtualis actus charitatis, & quatenus est retractatio formalis peccati ex imperante motivo charitatis est virtualis contritio.

Nec par ratio est de actibus aliarum virtutum: quia actus humilitatis v. g. elicitus ab homine iusto, & consequenter imperatus à charitate non est dolor formalis, aut virtualis de peccatis: non formalis, vt supponitur: nec virtualis, quia hoc est proprium actus formalis charitatis, & nullum peccatum potest aboleri sine penitentia formali, vel virtuali, vt tradit D. Thom. quaest. 87. art. 2. Attritio verò ex vna parte est dolor formalis; ex alia non sinit in proprio motivo, & hac ratione est forma sufficiens ad remissionem venialium.

§. III.

Argumenta adversariorum contra primam assertionem.

121 **A**rguunt primò recentiores Societatis constituentes maculam peccati venialis, sicut & mortalis, in actuali peccato praeterito non retractato, nec condonato. Nam eo ipso, quòd intelligamus hominem peccasse, & peccatum actuale non retractasse, nec Deum condonasse, prudenter iudicamus praedictum peccatum moraliter permanere; sed hae permanentia moralis actualis peccati suffi-

ciens est ad constituendam maculam peccati siquidem est permanentia habitualis: ergo macula peccati venialis constituitur per actum peccati vt non retractatum, & non condonato.

Confirmatur. Nam plures res sunt, quae licet physice praeterierint, permanent moraliter per hoc praesens, quod revocatur non sinit, & quod actu fuerunt: vt constat in lege diuina, in pretijs rerum taxatis, in voto, & in vocibus iam diu ad significandum impositis: & clarius patet in alijs materijs praesenti magis similibus: nam qui alium gravi afficit iniuria, eisdem effectus hodie causat adhuc praeterita, quos actu praesentit, dum actu existeret, si nondum pro ea sufficientem adhibuit satisfactio-nem, nec veniam habuit ab offensa: neque in his rebus aliquis terminus excogitari valet, qui praedictos effectus habitualiter conferat: ergo idem debet dici de habituali peccato, quòd non sit aliquis terminus realiter productus, sed ipsi summet peccatum actuale praeteritum moraliter, & habitualiter permanens ex carentia retractationis, & condonationis.

Ad argumentum respondetur distinguendo maiorem: *prudenter iudicamus moraliter permanere habitualiter*, concedo maiorem; *actualiter*, nego maiorem: alias toto tempore, quòd homo est in peccato, actualiter peccaret, quòd nullus dicit. Itaque peccatum actuale post actum peccati solum potest denominare hominem *peccasse*, quia talis est denominatio qualis forma denominans. Dicitur tamen habitualiter permanere, quia post actum peccati remanet in anima macula physica consistens in privatione physica nitoris gratiae, seu fervoris illius, vt tradit D. Thom. in 4. dist. 16. quaest. 2. art. 2. quaest. iunc. 1. ad 1. & in hac privatione dicitur peccatum actuale moraliter habitualiter permanere, per eamque dicitur homo post actum peccati intrinsece *maculatus*, & *dignus poena*, fecus verò per actum praeteritum, quòd modicumque sumatur.

Ad confirmationem respondetur verum esse, quòd plures res maxime in ea recentiae persistunt moraliter, per hoc praesens quòd actu fuerint, & revocatur non sinit: sed hoc ideo est, quia perseverant vt res morales praesens, & solum tribuunt denominationes extrinsecas non tantum habituales, sed actuales, ita proprie acti si actu existerent. Ceterum anima post actum peccati non denominatur actualiter *maculata*, sed tantum habitualiter, & hae denominationes non est tantum extrinseca, & moralis, sed intrinseca, & physica, & ad huiusmodi denominationem tribuendam non sufficit, quòd actus fuerit, & revocatus non sit, sed vterius requiritur macula habitualis physica intrinsece animae inhaerens. Ad aliud exemplum satis constat ex dictis num. 120.

Arg.

122 Arguitur secundò Scotista cum suo Magistro, constituentes maculam peccati habitualis in obligatione ad poenam: Nam ita se habet actus malus in ordine ad deputationem ad poenam, sicut actus meritorius in ordine ad deputationem ad gloriam, contrariorum enim eadem est disciplina; sed ex actu meritorio nihil relinquatur præter ius, seu condignitatem ad præmium: ergo ex actu peccati nihil relinquatur per modum maculae habitualis nisi ius, seu condignitas ad poenam.

Ad hoc argumentum responderetur permitiendo maiorem; & negando minorem. Nam per actum meritorium pro priori ad condignitatem ad gloriam producit dispositivè nova, & maior gratia saltem in esse gratiae, ut dicemus disp. seq. hæc maior gratia est fundamentum condignitatis ad gloriam. Unde potius retorqueri debet argumentum in adversarios. Vel potest responderi secundò negando maiorem, propter notam disparitatis rationem inter actum bonum, & malum: quia actus bonus ut meritorius nihil physicum causat, in quo prædictus actus possit moraliter permanere, & solum manet in acceptione divina ratione radicis gratiae. Caterum actus malus reverà, & physicè causat privationem physicam gratiae, aut fervoris illius, & in hac privatione potest immediatè fundari condignitas habitualis ad poenam. Sed hinc optime deducitur, maculam habitualem non in prædicta condignitate, sed potius in privatione præfata debere consistere, quia hæc est ratio primaria de genere mali habitua-
lis.

123 Arguitur tertio: Nam post actum peccati venialis voluntas manet habitualiter moraliter conversa ad obiectum talis peccati: ergo in prædicta conversione, habituali potius collocanda est essentia maculae peccati habitualis, quam in privatione fervoris charitatis. Antecedens constat ex D. Thom. 3. part. quæst. 77. art. 2. ad 3. ubi ait: *Sicut in corpore contingit esse maculam dupliciter: uno modo per privationem eius, quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris; aut debita proportionis membrorum: alio modo per superinductionem alicuius impediens decorem, puta luti, aut pulveris; ita etiam anima inducitur macula uno modo per privationem decoris gratiae per peccatum mortale: alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale, & hoc fit per peccatum veniale.* In quibus verbis non solum innuit manere in voluntate morale & habitualemente ad obiectum peccati venialis, sed esse maculam: ergo verum est antecedens. Ex quo consequentia probatur: nam peccatum habituale debet consistere in ratione primaria de genere mali, quæ sit radix aliarum; sed quælibet formalitas positiva est radix cuiusvis privationis, & propter hanc ra-

tionem constituimus peccatum commissionis in positivo, & non in privato: ergo macula peccati venialis consistit in prædicta conversione habituali, & non in privatione.

Adde primò: Nam hæud facile potest explicari quam privationem causet peccatum actuale veniale, in qua macula habitualis consistat: siquidem non privat aliqua entitatem habituali, quod est proprium privationis habitualis: neque privat aliquo actu, quia privatio actus non est sufficiens ad constituendam maculam habitualemente, sed ad constituendam peccatum actuale: neque talis privatio potest concipi adinstar impedimenti, ne gratia exeat in actum charitatis: nam licet rectè concipiatur privationem alicuius forma esse impedimentum seu antemurale, ne potentia tendat ad obiectum formæ, & ita privatio gratiae est impedimentum, ne voluntas tendat ad Deum ultimum finem; non tamen facile percipitur, quo pacto sit privatio per modum impedimenti, quin impedimentum ipsum sit aliquid positivum, vel privet reipsa forma, per quam poterat in actum prorumpere.

Adde secundò: Nam ex nostra sententia inferitur, maculam peccati venialis recipi in gratia, & charitate, cuius fervore privat, cum privatio debeat recipi in subiecto, ubi est forma, & certum est fervorem esse in illis velut modum; consequens est ingens absurdum, aliàs gratia denominaretur maculata: ergo.

Adde tertio: quia per prædictam conversionem habitualemente morale, quæ est reverà ipsemet actus præteritus, & moraliter permanens, dum non retractatur, facillimè explicatur distinctio tam specifica, quam numerica macularum habitualium; quæ tamen ægrè explicatur, si in privatione tantum consistat.

Ad argumentum responderetur distinguendo antecedens: dependenter ab aliquo termino distincto, concedo antecedens; independenter ab illo, nego antecedens. Nam intantum peccatum mortale actuale dicitur permanere moraliter habitualiter, quatenus relinquunt inanimata terminum privativum, qui est privatio gratiae, in qua in assimilatione prudentum peccatum actuale habitualiter perseverat. Caterum, si nullum terminum produceret, inintelligibile profus esset, quod moraliter habitualiter permaneret, ut satis probatum manet. Pariter ergo discurrendum est de conversione peccati venialis ad obiectum peccaminosum. Ad probationem ex D. Thom. desumptam, satis constat, si eius testimonium attentè legatur: in eo enim non inquit D. Thom. conversionem ipsam esse maculam, sed maculam induci, vel produci per ipsam conversionem. Præsertim quia in locis, quibus rem hanc expressè tractat, ut in hac 1. 2. quæst. 89. art. 1. in 4. dist. 16. & in quæst. 7. de Malo art. 11. aliisque in locis ap-
per-

apperte docet maculam peccati venialis consistere in privatione fervoris gratiae, & charitatis.

Ad additamentum primum responderetur notando cum NN. Salmant. 1. 2. quæst. 85. art. 1. 2. & 3. in Comment. dupliciter posse aliquid diminui ratione alicuius impedimenti: vel ita quod à subiecto, seu subiectivè impedimentum ipsum tollat aliquid entitatis existentis in eo: vel ita quod nihil intrinsecum adinatur; ponatur tamen impedimentum extrinsecum subtrahens materiam, vel obiectum circa quod versari potest. Hoc ultimum cernere licet in inclinatione, quam appetitus five rationalis, five sensitivus habet ad bonum, qui non diminuit quoad entitatem per peccatum; diminuit tamen extrinsecè per applicationem ad obiecta peccaminosa, quæ non relinquunt ipsum in obiecta rationi conformia prodire, & ad hunc effectum præstandum eodem modo se habent obiecta peccaminosa omissionis, ac commissionis. Hoc etiam pacto per peccata semiplenè delibèrata minuitur habitus, & promptitudo virtutum insularum, quatenus ex parte termini subtrahitur materia, circa quam possunt versari, & apponitur contraria, ut docent eisdem PP. tract. de Peccatis disp. 4. num. 8. Ad hunc ergo modum peccata venialia inducunt privationem fervoris charitatis non per ablationem subiectivam alicuius realitatis, sed quatenus homo, se convertens ad obiectum inordinatum, privat eam sui extensione per appositionem materię ineptæ causalitati illius. Hoc potest explicari hoc exemplo: Demus, quod corpus humanum est fervens ardore solis; ut fervor hic minuatur, non opus est, quod introducat intrinsecum impedimentum expellens calorem, sed satis est, quod ponatur sub umbra, quæ non est aliud quam quædam carentia, sub qua corpus ipsum refrigeratur, vel non efferbet, ad cuius instar se habet privatio fervoris charitatis.

Per quod constat ad secundum additamentum, quod in falsa imaginatione fundatur, ideoque facile retunditur: Nam si ibi est macula venialis, ubi forma qua privat, & forma est gratia connotans ablationem impedimentorum, ut promptè & expedite per charitatem operetur, quæ gratia in anima recipitur, in anima existere oportet: quia hæc est, quæ conversa fuit ad obiectum peccati venialis, quod est impedimentum per modum subtrahentis materiam propriam ipsius gratiae. Unde in anima residere debet immediatè carentia fervoris gratiae.

Ad tertium additamentum responderetur, distinctionem tam numericam, quam specificam macularum, quæ oriuntur ex peccatis venialibus, eadem facilitate explicari, quæ explicatur distinctio macularum, quæ animæ eye-

niunt ex peccatis mortalibus: & consistunt in privatione gratiae, connotante peccata actualia.

§. IV.

Argumenta adversus secundam resolutionem.

124 **A**DVERSUS secundam assertionem arguitur primò ex D. Thom. in 4. dist. 21. art. 3. quæstionum. 1. in fin. corp. ubi sic ait: *Dicendum, quod culpa venialis in eo, qui cum gratia decedit, post hanc vitam dimittitur per ignem purgatorij: quia poena illa aliquoties voluntaria virtute gratie habet vim expiandi culpam omnem, quæ simul cum gratia stare potest:* ergo culpa venialis potest remitti per solutionem poenæ; si patienter sustineatur.

Confirmatur in favorem Scoti: Nam si ad remissionem peccati venialis non sufficeret inflictio poenæ condignæ; aliqui homines punirentur propter venialia poena aeterna in inferno: quia dignitas ad poenam, utpotè passio culpæ, perseverat, quandiu perseverat culpa; hoc non potest admitti; & in humana iustitia est profus inauditum; ut si quis aliquod delictum commisit, pro quo mereatur vna tantum vice virgini cædi, non virgini cæditur quandiu durat culpa: ergo ad remissionem culpæ sufficit inflictio poenæ.

Ad argumentum responderetur, D. Thom. eo in loco interpretandum esse de culpa veniali quantum ad rationem poenæ: quia in alijs locis expressè docet, peccata quoad rationem culpæ remitti post hanc vitam per actum charitatis, sicut in hac vita. Videatur omnino quæst. 7. de Malo art. 11. per totum.

Ad confirmationem responderetur consequenter ad dicta tract. de Peccat. disp. 3. dub. 4. concedendo sequelam maioris; & negando minorem. Ad cuius probationem in ea inferunt dicimus esse notam disparitatem inter iudicem humanum, & divinum, qui intuetur cor: nam Index humanus in punitione culpæ tantum attendit ad resarciendum damnum exterius, non curans de macula interiori; Index verbò divinus præcipue intendit resarcire damnum animæ, quod in macula consistit: & hæc auterri nequit per solam solutionem poenæ; ut Scotista fatentur de poena huius vite. Et propterea poena peccati venialis petit per accidens esse aeternam in inferno, quia non est ibi excoGITABILIS alius modus eam remittendi. Maximè quia aliud est apud Scotistas poenam non durare in æternum, & aliud maculam tolli: nam frequentius est apud illos, quod poena non durat in æternum, quamvis macula peccati venialis non auferatur.

125 Arguitur secundo in favorem quarte sententiae, existimantis sufficere ad remissionem venialium displicentiam eorum virtutalem, quae in pluribus virtutum actibus reperitur: tum ex Trident. sess. 14. cap. 5. ubi docet, peccata venialia posse multis modis expiari: ergo prae-ter actum charitatis sufficientes actus aliarum virtutum. Tum etiam ex D. Thom. 3. part. quaest. 87. art. 1. ubi explicans virtutalem displicentiam sufficientem ad venialium remissionem statim adiecit: *Putà cum aliquis fertur secundum affectum in Deum, & res divinas; sed non solum per actum charitatis, sed etiam per actum religionis homo fertur in res divinas ergo idem quod prius.* Tum deinde: nam omne contrarium expellitur per suum contrarium; sed mendacium potius opponitur veritati, quam fervori charitatis: ergo ad eius remissionem satis erit actus veritatis. Tum denique: nam minus requiritur ad remissionem venialium, quam mortalium; sed ad remissionem mortalium sufficit attritio vna cum Sacramento: ergo minor displicentia, quae est in actibus aliarum virtutum; requiritur ad remissionem venialium.

Ad hoc argumentum respondetur negando assumptum. Et ad primam probationem ex Trident. depraemptam dicendum est, satis esse ad veritatem Concilij, quod prae-ter actum charitatis, & contritionis, necnon attritionis iniusto dentur plura sacramenta, & omnia sacramentalia, quae effectivè, vel impetrative causant auxilia ad fervorem charitatis eliciendum sufficientia.

Ad secundam ex D. Thom. desumptam respondetur, quod licet homo feratur ad res divinas per actum religionis, non autem propter ipsum Deum: hoc enim est proprium charitatis, D. Thomas intelligendus est non de quolibet affectu in Deum, & res divinas, sed de affectu propter ipsum Deum. Et hoc aperte constat ex ijs, quae in eodem loco & alibi docet, quod peccata venialia non possunt remitti absque poenitentia formali, vel virtuali, quae tantum salvatur in actu contritionis, vel charitatis, & deficienter in attritione, quae vna cum Sacramento fit contritio virtualiter.

Ad tertiam probationem respondetur, quod sicut macula peccati mortalis, non obstanti quod ratione actus opponatur speciali virtuti, v. g. religionis, iustitiae &c. praecipue opponitur gratiae, & hac ratione non potest auferri nisi per gratiam ipsam; ita similiter macula peccati venialis praecipue opponitur fervori charitatis, quatenus divertit à Deo prout est ultimus finis, & causat offensam passivam consistentem in privatione non absoluta ultimi finis, sed cuiusdam extensionis sive causalitatis, quae privatio tum extensionis, tum fervoris

non potest auferri, nisi per actualem tendentiam in ultimum finem.

Ad quartam, & vltimam respondetur, concessis praemissis; negando consequentiam: Nam non obstanti, quod actus charitatis, aut contritionis, vel attritionis formatae per charitatem requiratur ad remissionem venialium, adhuc salvatur faciliorem esse remissionem venialium, quam mortalium: siquidem facilius est incomparabiliter hominem iustum elicere attritionem, quam peccatorem: quinimmo facilius est elicere amorem charitatis, quia habet in se naturam, nempe gratiam persè inclinatam ad illum. Ad hoc possent addi alia motiva, ex quibus facilius evadit remissio venialium, secundum id quod formaliter importat, quam remissio mortalium. Pro quibus videri possunt NN. Salmant. in praef. tract. disp. 2. num. 324.

126 Arguitur tertio in favorem sacramentorum. Nam iuxta Trident. sacramenta non solum causant ex opere operato gratiam, per quam remittuntur omnia mortalia, sed etiam remittuntur venialia, vt de baptismo statuit sess. 5. can. 5. & de Eucharistia sess. 13. cap. 2. & confirmatione sess. 14. cap. 5. & extrema unctio ibidem cap. 2. in fine: ergo ea dispositio, quae sufficiens est ad recipiendum fructum sacramentorum, etiam est sufficiens ad remissionem venialium; sed sola attritio supernaturalis, & efficax est sufficiens ad fructuosum sacramentum recipiendum: ergo attritio cum Sacramento ex opere operato est sufficiens ad remissionem venialium.

Confirmatur ex D. Thom. 3. part. quaest. 79. art. 4. ubi docet, ex ipso Sacramento Eucharistiae, & ex ipsa re sacramenti remissionem venialium haberi. Et quaest. 89. art. 3. inquit *Triplix ratio aliqua causant remissionem venialium peccatorum: vno modo inquantum in eis infunditur gratia, quia per infusionem gratiae tolluntur venialia, vt supra dictum est. Et hoc modo per Eucharistiam, & extremam-unctionem, & universatim per omnia sacramenta novae legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur.*

Confirmatur secundo. Nam loco citato ex 3. part. art. 1. ad 2. affirmat D. Thom. quod martyrium purgat ab omni culpa tam mortali, quam veniali, si non inveniat voluntatem actu adhaerentem peccato; alias pro illo, qui ad martyrium accederet cum sola attritione, posset Ecclesia praevident orare, quod est contra sensum, & praxim Ecclesiae, & contra illud D. Augustini: *Iniuriam facit martyr, qui orat pro martyre.* Idem tenet communis sensus Ecclesiae de baptismo debite, & fructuose suscepto, vt suscipit ille, qui cum sola attritione accederet.

Con-

Confirmatur tertio. Nam si attritio cum Sacramento non remitteret peccata venialia, sequeretur primo, sacramenta non altiori modo illa remittere, quam sacramentalia, quia solum excitativè concurrerent ad eorum remissionem, quo pacto etiam concurrunt sacramentalia. ¶ Sequitur secundo, peccare mortaliter eum, qui cum sola attritione peccata venialia praesice confiteretur: quia non afferret sufficientem dispositionem ad formam sacramenti. *Roboratur hoc:* Nam qui scienter accederet ad sacramentum penitentiae, & confiteretur mortalia cum ea dispositione tantum, quae aliàs sufficeret ad sacramentum validum, peccaret mortaliter, vt docent NN. Salmant. tract. 24. disp. 8. num. 285. ergo pariter qui tantum confiteretur venialia, & accederet scienter cum sola attritione ad praedictum sacramentum, peccaret mortaliter. Patet consequentia: par enim est utrobique ratio: quia irrita faceret illa verba, *Ego te absolvo à peccatis tuis*, quae trahuntur ad significandum, *Ab his peccatis, de quibus te accusas, te absolvo*; ob indebitam dispositionem.

Ad argumentum respondetur concedendo totum discursum, cum grano tamen salis. Pro quo nota, sacramenta non concurrere formaliter ad remissionem mortalium, seu venialium, sed tantum efficienter, inquantum causant formam, quae formaliter expellit mortalia, seu venialia. Unde ad salvandam doctrinam catholicam declarata à Trident. circa remissionem venialium per sacramenta, satis est, quod ex opere operato causent formam expulsiivam venialium vel mediata, vel immediate. Sacramenta autem non solum causant gratiam habitalem, quae est forma remissiva mortalium, sed etiam auxilia excitantia ad fervorem, quae quidem auxilia simul cum actuali fervore dicitur *opus operatum*, vt expressè docet D. Thom. 3. part. quaest. 79. art. 4. ubi loquens de Eucharistia, sic ait: *Res autem huius sacramenti est charitas non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc Sacramento, per quod peccata venialia solvantur:* idem docet ad 1. Et licet contingat, quod homo oblivione, aut distractione, vel alia causa non erumpat in actum charitatis, aut contritionis, semper salvatur, quod sacramenta ex opere operato causant remissionem, quia producant auxilia, medijs quibus in promptu est, vt illico prorumpat in praedictum actum, & propterea praedictus actus sacramentis attribuentus est.

Ad confirmationem respondetur, D. Thom. evidenter stare pro nostra sententia non solum in locis relatis, & alijs plurimis §. 2. sed etiam in illis, quae nobis obijciuntur. Nam de primo loco aperte constat ex verbis proximè adductis. Et de posteriori liquet ex verbis praecedentibus.

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

bus, in quibus ait: *Quod ad remissionem venialis peccati non requiritur novae gratiae infusio, sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale, vel explicitè, vel saltem implicitè, sicut cum aliquis ferventer movetur in Deum.* Accedit ad hoc, quod in auctoritate nobis obiecta se remittit ad dicta praec. art. 2. in quo asserit non sufficere ad remissionem venialium infusionem gratiae habituales; sed requiri aliquem motum ipsius gratiae, & charitatis.

Ad secundam confirmationem respondetur, baptismum, & martyrium non remittere peccata venialia nisi mediata, producendo auxilia ad excitandum fervorem charitatis, & in hoc conveniunt cum ceteris sacramentis. Habent tamen aliquid speciale, quod ubi primò excitatur fervor sufficiens ad omnia peccata venialia delenda, remittuntur in virtute illorum non solum quoad culpam, sed etiam quoad omnem poenam. Et si contingat, quod hic fervor non excitatur in hac vita, in primo instanti separationis animae haec prorumpit in actum fervidum, quo venialia omnia delentur virtute baptismatis, & martyrij, omnique poena remittitur. Et propterea non opus est oratione.

Ad tertiam respondetur negando primam sequelam. Nam sacramenta causant effectivè physicè auxilia proxima sufficientia ad fervorem charitatis; sacramentalia verò tantum impetrative. Iterum neganda est secunda sequela: siquidem, eo ipso quod quis accedat ad sacramentum penitentiae cum sola attritione, & confiteatur praesice de venialibus, non ponit obicem ad illorum remissionem, & ponit dispositionem sufficientem ad hoc, vt producat praedictum sacramentum auxilia remote remissiva venialium. Et hac satis sunt, vt praedicto modo accedens ad sacramentum non peccet mortaliter. Per quod constat ad id, quod additur ad roborandum praedictum inconveniens: Nam accedens scienter ad sacramentum penitentiae cum ea dispositione non sufficienti ad producendam gratiam, propterea peccat mortaliter, quia permittit obicem gratiae, & hac ratione facit irreverentiam gravem Sacramento. Quae verò accedit cum dispositione sufficiente, qualis est attritio efficax supernaturalis venialium, & de his tantum consistitur, ponit quiddam requiritur ad producenda auxilia persè excitantia motum charitatis immediate remissivum venialium: & hac ratione verificantur verba absolutionis, ad quorum veritatem tantum desideratur, quod producant formam mediae tam, vel immediatam remissivam venialium.

127 Ultimo arguitur: Nam actus charitatis, & contritionis vel expellunt omnia venialia, vel non? Si asseratur hoc vicium, restat

Hhh 2. nqz

nobis assignare principium, quare his adven-
tur potius, quam illis. Immo clare deducitur
prædictos actus ex specie sua nulli peccato veni-
nali opponi. Primum enim est in intelligibile,
alias minimum actum charitatis eliciens munda-
retur ab omni peccato veniali. Si autem dicatur,
quod actus dum est fervidus, id est, intensior,
quam gratia, à qua elicitur, excludit omnia
venialia, est improbable, alias ad remissionem
peccati venialis necessaria foret semper intensio
physica gratia. Adde, quia charitatem esse fervi-
dam non regulatur per intensiorem actus: nam
si hoc ita esset, qui minimam gratiam haberet
semper esset tepidus, qui vero intensam, fervore
polleret, & sapè accidit e contra, ut patet in in-
cipientibus.

Confirmatur, & probatur quod attritio
elicta ab homine iusto non sit sufficiens pro
remissione venialium: nam hæc ex specie sua
non detestatur venialia ex motu charitatis,
aut penitentia, nempe, quia Deum offendunt,
& ab ipso divertunt, sed ex alio motivo inferio-
ri, ob quam rationem non opponitur venialibus.
Sed à charitate non participat, quod propter ta-
le motivum illa detestetur, alias transiret in con-
tritionem: ergo non est sufficiens ad delenda veni-
alia.

Adde, quod in pura natura non facile ap-
paret per quid venialia deleantur, vel assignen-
tur.

Ad argument. respondetur quemlibet
actum charitatis posse omnia venialia excludere,
& propterea docet D. Thom. 3. part. quæst.
79. art. 4. ad 2. quod homo potest in hac vita
esse sine peccato veniali, licet non diu, & quæst.
87. art. 1. inquit, quod vnus actus charitatis
potest delere omnia venialia sine actuali cog-
nitione eorum. Quandoque etiam potest excludere
aliqua, & forte nullum, quin ex hoc liceat in-
ferri persè non opponi venialibus. Pro quo est
notandum, quod actus charitatis est privative
vis ordinativa in Deum vltimum finem super-
naturalem, de cuius ratione est, quod habeat
materiam necessariam, eam, nempe, quæ con-
stituit finem, vel fini essentialiter annectitur:
aliam liberam, quæ ad talem finem essentiali-
ter non conducit. Ad hoc ergo vt excludat veni-
alia, opus est, vt applicetur, & ordinetur ad
ea detestanda, & hoc pacto venialia ipsa delentur,
omnia, si ad omnia: nulla, si ad nulla:
aliqua, si ad aliqua. Nec ex hoc inferas ex na-
tura rei non opponi venialibus: siquidem aliud
est, quod non necessario opponatur; aliud,
quod non opponatur persè, & non sit sufficiens
ad ea delenda. Sicut aliud est voluntatem non
necessario imperare motum externum, aliud non
imperare persè. Primum est verum, ad quod
sufficit charitatem, aut voluntatem non esse
necessitatem. Secundum est omnino falsum,
quia si charitas se applicat ad delenda venialia,

persè ea delet, sicut volitio persè imperat motum
externum, si semel se applicat ad imperandum.
Ex quibus patet actum esse fervidum non consi-
stere in maiori intensione actus, sed in prædicta
applicatione.

Ad confirmationem respondetur ex dictis
num. 120. quod licet attritio ex specie sua non
detestetur venialia sub motivo sufficienti ad ea
delenda, prædictum tamen motivum potest im-
perari à fine charitatis: nam idem ordo est in fi-
nibus, ac in agentibus; & ex vi prædictæ subor-
dinationis transvolat ad actum charitatis, & con-
tritionis virtualem.

Ad additamentum respondetur: peccatum
veniale in pura natura, sicut in statu elevatio-
nis consistit in diversione à Deo vltimo fine,
aliter tamen & aliter: nam in præsentis providen-
tia divertit ab eo vt sine supernaturali, & in na-
tura pura ab eo vt sine naturali. Neque offensa
ex prædicta diversione moraliter orta aliquid à Deo
tollit, nisi extensionem sui ipsius vt finis natura-
lis. Unde sicut in præsentis providentia ad delenda
venialia necessaria est actualis conversio in
Deum vltimum finem supernaturalem, quæ ha-
betur per gratiam, ita sufficiens est ad ea delenda
in natura pura conversio efficax ad ipsum Deum
finem naturalem, quam viribus proprijs potest
tam potentia antecedenti, quam consequenti eli-
cere, si prædicta natura non est infecta peccato
mortali.

DISPUT. II.

De Merito iusti.



Eractis iam, quæ ad primum
effectum gratia, & in gene-
re cause formalis spectant,
merito pergitur cum D.
Thom. in quæst. 114. se-
quenti ad explicandum præcipuum eius effectum
in genere cause efficientis moralis, qui est meri-
tum apud Deum. Meritum autem dicitur à D.
Thom. in præmio præcitate quæst. effectus gratia
cooperantis, sicut iustificatio effectus gratia
operantis, cuius rationem optimam ipse Angeli-
cus Doct. tradit supra quæst. 111. art. 2. siqui-
dem effectus gratia operantis dicitur ille, in
quo mens nostra non est movens, sed vnice mo-
vetur à Deo: effectus autem gratia cooperantis
est ille, in quo anima ita movetur à Deo, quod
etiam moveat: Sic igitur (concludit) habitua-
lis gratia in quantum animam sanat, vel iu-
stificat, dicitur gratia operans: in quantum
verò est principium operis meritorij, quod ex
libero arbitrio procedit, dicitur cooperans. Ex
quibus verbis satis colligitur meritum, quod
ad hæc disputationem spectat, esse effectum gra-

gra-

gratiz, verfarique apud Deum, quod dividit-
tur in congruum, & condignum: meritum de
condigno dicitur illud, quod in æstimatione
prudenter habet æqualitatem cum præmio:
meritum de congruo est illud, quod non habet
æqualitatem cum præmio, habet tamen aliqua-
lem proportionem cum illo fundatam in amici-
tia Dei: nam congruum est, quod si homo in
gratia constitutus adimplet voluntatem Dei, &
facit quod in se est, Deus ipse adimpleat homi-
nis voluntatem, vt tradit Mag. Ang. infra art. 6.

Inter has duas rationes merendi plura re-
periuntur discrimina. Primum est, quod meri-
tum de condigno potest fundare debitum ex iu-
sticia simpliciter, si adsit pactum remunerantis,
secus verò meritum de congruo propter inæqua-
litatem cum præmio. Secundum est, quod ad me-
ritum de condigno requiritur ex parte præ-
miantis aliquod pactum saltem implicitum, vt
infra videbimus, quia debitum ex iusticia ne-
quit in Deo resultare absque prædicto pacto, se-
cus verò ad meritum de congruo. Tertium est,
quod merito de condigno, quod est tale in actu
secundo, nempe, ratione pacti, infallibiliter
conferitur præmium à Deo, quia est iustus iu-
dex. Meritum autem de congruo, cum ex se tan-
tum fundetur in amicitia, potest à consequutione
præmij impediri, nisi adsit promissio divina,
quia tunc ex fidelitate debetur, sed hoc est extra
naturam meriti de congruo. Quibus scitis inquie-
ritur primò.

DUBIUM I.

An homo verè, & propriè, seu de condig-
no possit aliquid à Deo me-
reri?

PRO intelligentia terminorum nota
primò meritum verè & propriè il-
lud dici, in quo ex parte merentis datur ali-
quod ius ad præmium: & propterea meritum
definitur, quod est opus, cui debetur præmium
vel est opus conferens ius ad præmium. Et hac
ratione meritum illud, quod fundat ius in sola
misericordia divina, aut in liberalitate, & bo-
nitate Dei, non est verè, & propriè meritum ad-
huc imperfectè, sed tantum metaphoricè, & im-
propriè, mercedeque est, merum, & gratuitum
beneficium: & ita se habent opera omnia in pec-
cato elicta, iuxta illud Eccles. 34. *Dona iniquo-
rum non probat Altissimus.* Ius autem ex parte
merentis potest esse duplex: nam aliud est secun-
dum quid, & aliud simpliciter. Primum tantum
fundatur in titulo amicitia: amor enim, & ami-
cicia (ait D. Thom. in 4. dist. 15. quæst. 1. art.
3. quæstionc. 4.) amicorum bona faciunt esse
communis. Posterius verò fundatur in titulo iu-
sticia verè, & propriè talis, qualis est commu-
nativa, distributiva, aut legalis.

Hinc oritur dubium cum D. Thom. in
præf. art. 1. vbi docet in ordine ad Deum non
dari iustitiam simpliciter talem, sicut nec ius-
tum, propter summam inæqualitatem inter
Deum, & hominem: ex quo inferatur in homi-
ne non salvari rationem meriti simpliciter
in ordine ad Deum, sed tantum secundum
quid.

Sed pro huius luce; nota secundò particu-
lam simpliciter posse sumi dupliciter. Primò,
ita ut simpliciter sit idem, ac absolute tale sine
addito diminutive, aut alienante, in quo sen-
su D. Thom. supra q. 21. art. 4. concedit homi-
ni ad Deum meritum simpliciter scilicet absolute,
absque vilo addito. Secundò ita ut simpliciter
idem sit ac perfectum & completum, ac tale om-
nibus modis: in quo sensu solus Deus est ens
simpliciter, quamvis substantia creata sit ens
simpliciter comparative ad accidens. Meritum
ergo perfectum, completum, & simpliciter ta-
le omnibus modis est illud, quod observat om-
nes conditiones rigorosæ iustitiæ: & iuxta hæc
acceptioem meritum vnus hominis potest esse
simpliciter tale erga alium, & satisfactio Chri-
sti pro genere humano fuit ex toto rigore iusti-
tiæ, vt probabilius docent Nostros 3. part.
quæst. 11. Meritum verò, quod est tale simpli-
citer & absolute; sed non perfectum, & com-
pletum, erit illud, quod habet condignitatem
cum præmio, fundatque debitum ex iusticia sive
distributiva, sive commutativa; non tamen ob-
servat condiciones omnes rigorosæ iustitiæ, quod
verificari non valet, nisi interveniat aliquod
pactum ex parte Dei præmiantis, vt infra vide-
bimus.

Hinc debet supponi tanquam certum de
fide, hominem posse mereri aliquid à Deo ve-
rè, & propriè merito de congruo, vt colligitur
ex pluribus testimonijs sacrae paginae, SS. PP.
& Conciliorum præcipue Trident. sess. 6. cap.
16. can. 26. & 32. vbi contra Lutheranos, &
Calvinistas definit, hominem iustificatum bonis
suis operibus verè mereri augmentum gratia, &
gloria, necnon ipsius vitæ æternæ consequen-
tionem: cuius decretum debet saltem intelligi
de merito de congruo proprie dicto, & supra
explicato.

Etiam debet supponi, vt quid indubita-
tum apud omnes Theologos, hominem non
posse mereri à Deo aliquid de condigno, ita ut
meritum illius, adhuc supposito pacto, fundet
debitum ex toto rigore iustitiæ, seu cum om-
nibus conditionibus rigorosæ iustitiæ. Nam ad
hoc genus meriti ultra alias condiciones requi-
ritur, quod opus, in quo meritum consistit,
non sit sub dominio remunerantis, nec fit ei
alio titulo debitum, nec fundetur in gratia ip-
sius remunerantis: constat autem, quod omnia
opera nostra meritoria sunt perfectè sub domi-
nio Dei, pluribus titulis ei debita, fundantur-
que